Zu der

öffentlichen Classenprüfu[ng]

der

Schüler unserer Gelehrtenschule,

von Dienstag den 23. bis Freitag den 26. März,

ladet

die Behörden der Stadt, so wie alle Freunde der Schule

ehrerbietigst und geziemend ein

P. H. Jessen, Dr. phil.,

Rector.

Jessen

Voran:

Quaestiuncula Tulliana.

Glückstadt, 1858.

Gedruckt bei W. Augustin.

Qui puerilem institutionem professi causam puerorum erudiendorum susceperunt, eorum non est aut antiquorum auctorum scripta emendare expurgare interpretari, aut singulas virorum doctorum opiniones, quas de illis temporibus protulerunt diversissimas refutare corrigere, neque posita est laus et gloria magistri in librorum editorum aut numero aut amplitudine. Aliud magistrum decet, aliud eum qui ipsam artem profitetur. Hic quod invenit et pro vero vendidit, ille qui quidquid ei est virium et doctrinae in pueros erudiendos confert, discipulis ita ut par est studet tradere, et ut Cicero dicit sibi illustrandam esse philosophiam Graecorum ut etiam otiosus suis prosit, ita nobis qui magistri simus illustranda est illa antiquitatis scientia, qua qui imbutus non est neque satis eruditus videtur, neque aptus qui rationem sui temporis regat potius, quam ab ea regatur. Quod quum facere non possis, si vere ac religiose opus tuum velis explere, nisi perspectis illis rebus quae tradendae sint et diligenter perquisitis, fieri potest ut aliquis aliquando aut locum aliquem auctoris rectius interpretatus esse, aut de viro aliquo verius judicasse, aut rem aliquam luculentius demontrasse sibi videatur, quam qui antea de his rebus disputarunt; et sat multae sunt res, quae emendantis et corrigentis opera egeant. Ne Cicero quidem, in quo legendo relegendo, emendando interpretando judicando tam multi studium suum et operam posuerunt, neque quid scripserit a criticis satis expositum, neque quam partem in republica administranda egerit a historicis absolutum est.

At quem mihi Ciceronem? Qui qualis fuerit et ingenio et animo et moribus postquam Mommsenius, quem summi honoris causa nominatum volo, propter conscriptam rerum Romanarum historiam ab omnibus fere, quibus hae res cordi sunt, summis laudibus summisque honoribus elatus, satis dilucide et sat multis dicendi luminibus intextis legentem quemque docuit, quis est qui in eo aut cor-

rigendo aut explicando operam et studium consumat? Qui opera Ciceronis legerit, is naturam hominis explicatam habebit et exploratam. Gravitate illa et virtute innocentiaque, qua antiquis reipublicae temporibus ita omnes Romani aequabiliter praediti erant, ut haec laus non solum hominum, sed illorum temporum esse videretur, orbus speciem quandam humanitatis prae se tulit, quae in visceribus non haesit; tantum fuit in eo inconstantiae, tantum ignaviae, quantum in nullo eorum Romanorum qui rempublicam capessiverunt, qui factum est, ut neque unquam quicquam sua rerum cognitione ageret, et quum alia tum in consulatu illas res, propter quas summis honoribus laudatus pater patriae dictus est, non tam ipse faceret, quam ab aliis commotus fieri sineret. Verissimo semper affectus et summo timore atque metu nihil antiquius habuit, quam ne quid in se ipso offenderetur.

Qui alios exprobrat quum dissensio civium esset non statuisse, utrum mallent sentire et defendere, is minus Cato Aelio Sexto egregie cordatus, minus Marco Catone constans, quum quam ageret partem non statuisset, tum ostentatione magis quam veritate popularis saluti populi sibi visus est consulere, tum cum Pompejo egit, tum quasi furtim nobilitati studuit, minus ex animi sententia, quam ita sibi convenire ratus; multorum sane temporum homo pro fide nunquam ultima expertus est. Inde factum est, ut qui dominabantur hominis illius, quem quod timerent non habebant, leni quodam animo tractati facultatem qualemcunque dicendi in suam quisque rem adhiberent; is enim causidicus potius disertus et clamator, quam artis dicendi antistes, quam divinitus datam homines antiqui dicebant, non tam fraudem nocentis odio subjiciendi audientium et innocentiam judiciorum poena liberandi, quam in qualibet causa aliquot rationes et argumenta supponendi peritus, semper paratissimus erat illius multitudinis agere auctorem, quae dominantibus resistere non audebat, et quae jussus erat quasi sua audientibus tradere.

Qua in dicendi facultate, tametsi nihil valebat nisi ut qui interfectus esset eum iterum interficeret, tamen ita omnem spem collocavit, ut stolida sui fiducia et animo nimis erecto et quodammodo turbato, causa quam ageret neglecta nulli rei studeret nisi illi arti, qua parti suae judicium se victurum, sibi summam gloriam se comparaturum esse et putabat et sperabat. Non tantum ea fuit inconstantia et animo inani, sed ita indulsit humilitati, ut clientium modo in castra Caesariana profectus salutandi causa, in procoetone exspectaret, donec in

conspectum perveniret, quod tractatum per comicum quendam Romanorum non minus celebratum facturum erat Ciceronem, quam factus est Agamemno carmine illo Homerico. Atque ne pecuniae quidem abstitit cupiditate; et Caesar ei pecuniam mutuam fecit sine usuris, neque ab illo operibus magnis efficiendis praefectus jacturam fecit, quo factum est, ut quum non parvo premeretur aere alieno, et res amissas repararet, et gratia Caesaris vinctus nimis ei orationibus suis satisfacere studeret.

In rebus publicis nec vidit unquam quidquam, nec sensit, nec spectavit. Quod maxime laudatur in Themistocle: nullam rem majorem sine eo gestam esse, de rebus instantibus verissime eum judicasse, conjecisse callidissime de futuris, id aliter erat in Cicerone, qui quum neque conjiciendi neque judicandi peritus magnum quid sibi videretur egisse, si qui fracti jam essent neque quo niterentur haberent, eos perderet, nullam rem majorem confecit; senatorum judicia quum in ea inveheretur orationibus illis Verrinis eo pervenerant, ut nemo fere de eis transferendis recusaret; Catilinam declamationibus suis eo aggressus est temporis momento, quum urbem relinquere sua sponte statuisset. Simillimus igitur virtute et ingenio ejus viri fortissimi fuit, qui quos hostes valentes esse et potentes ipse opinaretur, eos summa fortitudine superaret, qui non haberent quo se defenderent, eos frangeret. Et mirandum, credo, Ciceronem in rebus publicis nihil vidisse nisi per caliginem quandam; praestrinxerat aciem animi quum inconstantia illa, qua, id quod jam supra dictum est, diversissimas agebat partes, et agitatoris populi, et sectatoris nobilium, et fautoris principum, ita ut quum de lege Gabinia non dixisset suaderet Maniliam, tum cupiditas, qua correptus non tam civibus suis et patriae, cujus pater dictus esset, vivebat quam sibi; quamcunque enim rem susceperat tractandam, sive publicam sive privatam, sive in foro sive in concione, eam magis agebat ut sibi inde aliquid honoris colligeret, ut suam gloriam augeret quam ut rempublicam erigeret, cui quum se totum dedere videretur suae famae serviebat non amicorum civiumve voluntati.

Non majore efferendus est laude oratoria; fac eum orationibus suis interdum audientium animos movisse, aut mentes docuisse, aut exspectationi et sensui satisfecisse, potuitne vere, id quod eloquentis est, in foro causisque publicis ita dicere ut flecteret, ut probaret, ut delectaret? Nihil habuit iratum, nihil invidum, nihil atrox; non veritate rei quae agebatur perspecta et intimo pectore

percepta ardore quodam sive amoris sive odii abreptus, non impetu quodam animi agitatus verba profudit, ut Demosthenes maxime in eis orationibus quae ad rempublicam pertinebant. Cujus quamvis virtutes dignissimas putaret, quas quis imitaretur, et vere Atticas, atque supra imitationem positas, non modo eum assecutus est, sed ne similis quidem factus. Non tam orator dicendus est quam causidicus et declamator ex numero eorum qui viguerunt minus quam vixerunt. At qui non flectit, quod est victoriae, is potest probare. Cicero narrationes rerum ita instituit, ut cavillatione quadam et dicacitate non tam mentibus audientium satisfaceret, quam risum aliquem vel hilaritatem moveret. Haec res est quamobrem orationes ejus tametsi clariorum Francogallorum artem non assequantur, tamen neque nostris temporibus injucundae videantur ad legendum, neque visae sint prioribus; itaque animo minus quam sensui audientium satisfecit jocis illis non raro scurrilibus, qui non in rebus verbisve positi, sed ad adversarium pungendum extrinsecus adhibiti erant. In orationibus civilibus nihil est ejus communitatis et conjunctionis civilis, qua qui caret nunquam opinionem suam audientibus probabit; in forensibus nihil ejus acuminis et juris scientiae, quibus rebus et jurisconsultum et patronum praeditum esse oportet, ita ut legentes et sentiendi et judicandi periti non modo animis, sed ne auribus quidem impletis rerum solitudine pariter ac hominis levitate offendantur. Nam de delectatione, quae est suavitatis, amplius disputare opus non est.

At ab antiquissimis inde temporibus opera Ciceronis conscripta multum lecta sunt et emendata explicataque. Ne scripta quidem id habent, quo legentium animi aut alantur, aut excolantur. Sermo Romanus temporibus Ciceronianis multum mutatus est. Quum post aetatem Scipionum, quae classica fuit Romanarum literarum aetas, plura verba et Graeca et rustica in sermonem Latinum irrepsissent, viri docti, qui in extremo septimo urbis saeculo vivebant, pro suis quisque viribus, ut verbis illis deletis purum restituerent sermonem, operam dederunt; quod maxime omnium assecutus est Cicero, quem recentioris scribendi generis auctorem dicere licet. Sed sermo Ciceronis a priore scriptorum classicorum genere tantum distat, quantum homo improbus, qui magnis facinoribus commissis ab errore ad veritatem rediit, ab illa innocentia qua florent infantes. Cicero in primis effecit ut ars scribendi dilapsa deflueret; orationes enim forenses, quae judicibus et partibus compositae quod publici juris fierent non haberent, eas

edidit, morem secutus Graecorum, qui ejusmodi scriptis famam suam studebant augere; itaque novi quid, quod non erat e more Romanorum, in literas Romanas introduxit. Et ceteras res si spectas ab eo libris traditas, tam nihil valuit, ut quo se verteret nihil fere interesset, nam quum stupidissimis verbis semper abundaret, nulla erat ars vel provincia, quin ei libris aliquot collectis ad dissertatiunculam aut vertendam aut conglutinandam materiam praeberet. Et expertus est fere omnia. Innumerabilibus versibus et Marii et sua facta cecinit, orationibus Demosthenem, Platonem disputationibus philosophicis conatus est superare, minus vires defuerunt quam tempus ad Thukydidem historia conscripta vincendum. Simillimus fuit illorum nostrae aetatis virorum, qui propter dissertatiunculas, quae actis diurnis inseruntur, se auctores nobilissimos esse rati in diem vivunt. Opera ejus ampliora multo quam jucundiora; atque in desertissimis illis aridissimisque terrarum regionibus unus locus est, qui prati quasi viridis similior esse videatur: initium est secundi de legibus libri. Vel optimorum librorum, eos dico, qui sunt de arte rhetorica, quum maximam partem et suavissimam rerum traditarum, tum formam disputandi mutuatus est a Graecis; scriptis philosophicis summam fecit repulsam, quod quum res maxime vulgares et populares pro sapientia venderet Socratica, non est quod mireris. Unum est quod mireris: ejusmodi scripta tantopere et laudari et lectitari. Sed ne hoc quidem non habet quo explicetur. Lingua enim Romanorum nobilissima, priusquam rustico sermone et populari immixto perderetur, ab ejusmodi scriptore arrepta quodammodo comprensaque et magno artificio tractata, legentem tanto cepit impetu, ut in scriptore illa vis inesse videretur et virtus, quam re penitus perspecta ipsius linguae esse videbis. Laudatus igitur est auctor quum laudanda esset illa Romanorum, populi nobilissimi virtus, qua ne illis, quidem morum perditorum temporibus lingua eorum destituta erat.

Hanc fere Mommsenius tametsi non eisdem verbis unove loco, minus tamen adumbratam, quam diligenter expressam Ciceronis imaginem informavit, non illam quidem novam et inauditam, quum Drumannus (ut hujus unius nomen proferam) jam antea de Cicerone acrius multo et severius quam amicius judicasse inter omnes constet; neque igitur res erat difficilis oratorem eum informare. Quorum virorum quamvis simillima sint judicia et fere paria, una tamen in re differunt. Drumannus, qui summo studio, tanta diligentia, quanta uti solet medicus

qui instrumentis aptissimis minimam quamque corporis humani partem ad artem suam excolendam disponere et quasi Lynci oculis intueri studet, omnia Ciceronis ipsius dicta et verba collegit et diposuit, ceterorum auctorum et Romanorum et Graecorum quae in suam rem facerent adhibuit et cum illis contulit, ut quid de Cicerone statuendum esset et sibi et aliis probaret, confessus est,[1]) mente hominis et cogitatione, dictis et factis diligentissime aestimatis aliquantum detrahendum esse de ignominia, qua videretur obrutus. Mommsenius, qui qualis fuerit natura et moribus primo aspectu quasi praeteriens intellexit[2]), nullum locum omisit, quin nova in eum conjiceret convicia.

Ut est historiam alicujus aetatis aut viri alicujus memoriam conscribentis non ad modum eorum qui annales confecerunt, quae quoque anno factae sint res suo loco enumeratas conferre, sed omnia reipublicae ita componere, ut universam populi quasi viventis imaginem animo fingere possis, ita Mommsenius practer ceteros id assequi studuit, ut legentes non rem narrando traditam cogitatione complecti, sed quasi auribus et oculis adesse sibi viderentur, atque, id quod verum historicum decet, ita usus est rebus ab illis auctoribus traditis, ut ex eis, qualia fuerint ea quae tradita non sint, per conjecturam erueret. Quae ut summi ingenii sit et quasi divinitus dati ita animo sibi fingere et legentibus proferre, ut rerum veritatem assequantur, ut minorum gentium alius propius ad hanc veritatem accedat, alius minus prope, unum licet ab unoquoque, qui has res sibi sumsit tractandas flagitare, hoc dico, ut singula quaeque imaginis inter se congruant, neve pugnent cum ceteris quae traditae sint rebus. Quod si quis a Mommsenio commissum esse intellexerit, is falsi quid irrepsisse ratus de tota dubitabit oratoris informatione. At quum neque propositum sit libri censuram componere, neque quid de Cicerone statuendum sit discernere, sed esse cur liceat non consentire cum Mommsenio probare, paucula quaedam et pusilla sufficient.

Extremis saeculi septimi annis multi rerum novarum cupidi; anno 689 Nonis Febr. ipsa conjuratio signo a Catilina citius dato patefacta; sed qui cum imperio erant conjuratis palam resistere non audere. Quae res quamvis a conjuratorum inimicis traditae, quum, quae faciebant cis temporibus et Caesar et

---

[1]) Drumann, Geschichte Roms in seinem Uebergang u. s. w. VI, 419.

[2]) Röm. Gesch. III, 573. Mit Cicero wird jeder Unbefangene bald im Reinen sein.

Crassus, ex eodem consilio profecta cum illis congruant, negari non poterunt. Caesar enim et Crassus Pompejo interfecto militibus freti summae rerum potituri erant. — Conjuratio repressa, sed quum magistratus nihil auderent, non in perpetuum compressa. Quum instarent comitia consularia anni 690 iterum conjuratio moveri coepta; conjurati ut sui crearentur omnes nervos intendebant. Quum in ipsa Italia tum in provinciis, velut in Mauretania et in Hispania, socios sibi comparatos armis ornaverant. Nobiles, quorum res in maximum periculum et in extremum fere discrimen adducta videretur, ne habebant quidem, quem consulem commendarent, quem capitis periculum subiturum facillime apparebat; gloria timore jam diu erat superata. Anno 691 conjurati rem in discrimen adducere statuerant, et qui diligentissime audaciam eorum intuebatur et atrocitatem, si qui ob aes alienum in judicium vocabantur, is minime incertus erat magnas res parari; Catilina conjurationem patefactam non negare; minari se postea eis qui res novas molirentur non defuturum; apud Faesulas milites colligi vel latrones; Catilina in urbe manere et sua fretus audacia et suorum, in forum ire, in curiam; minari adversariis si res ad extremum perduxissent; et audebat nemo neque privatus neque magistratus huic sceleri manus inferre. Catilina urbem relinquere, sed qui remanebant principes conjurationis et duces, contra eos nihil fieri; post paucos dies Lentulus Cethegus alii capti, sed noli putare rem ideo confectam; in urbe Roma res eo venerant, ut ne ei quidem viri quorum culpam omnes agnossent in custodia sine periculo tenerentur. Et servi et liberti Lentuli aliorum seditionem movere coeperant; consilia dicebantur inita virorum illorum e domibus in quibus tenebantur liberandorum, et erant in urbe sat multi quum latrones tum latronum duces, qui pecunia proposita tumultum instituendum et quaelibet facinora committenda susciperent, ne Catilina quidem ab urbe procul aberat. Quid igitur faciendum; res in summo videbantur discrimine, quum propter antiqua illa reipublicae instituta in urbe neque milites essent neque servi publici, qui magistratus tuerentur ita ut re vera cujusvis latronis crudelitati nefariae cervices dandae essent. — Hoc fere in statu res erant Romanorum auctore Mommsenio et si verum est quod conjicit, per Catilinam ejusque sodales id factum esse, quod a viris multo et majoribus et validioribus animo cogitationeque fictum sit, noli putare periculum nobilium minus fuisse.

Atqui his temporibus, quum conjuratos nobilium, qui ne patefacta quidem illorum consilia comprimere ausi essent, ignaviam atque sollicitudinem plus semel expertos in majorem spem adductos ore audacissimo et altis naribus ingredi etiam caeco appareret, his dico temporibus Cicero consulatum petivit, Cicero, qui tum minime faciebat cum Catilina et ejus sodalibus. Quid? videturne tibi militis ignavissimi esse et timidissimi, quum volentes a duce evocantur, nomen suum profiteri? An putas eum gloriae cupiditate correptum ne vidisse quidem sibi quidquam esse periculi? Anxietas et sollicitudo plus habet sagacitatis quam stupiditatis, ita ut periculum simulatum potius videat, quam negligat verum. Qui scripta legit Ciceronis vidit sensisse eum periculum; et gloria jam diu timore superata erat.

In ipso consulatu (a. 691), quum conjuratis quod conjurationem negarent factam nihil esse videretur, quum optimus quisque furori adversariorum maxime deditus esset, quum catervae pugilum in Etruria collectae essent, quum qui contra aut diceret aut ageret nihil exspectaret, nisi ut proximo die gladiis sicariorum ab adversariis conductorum transfixus neque agere posset neque dicere, in ipso consulatu Cicero in Catilinam coram invehitur verbis illis acerrimis et infestissimis, quas legentes etiam nos delectamur. Quid? Estne ut putes viri hoc esse ignavissimi et timidissimi, ejus qui et reipublicae et civium salute neglecta suam agat rem, sibi conetur gloriam qualemcunque comparare? An videtur tibi auctor, qui Ciceroni ne minimum quidem virtutis nec fere humanitatis tribuat, tempora vero reipublicae Romanae hunc in modum informet, non ubique sibi constare atque is auctor, qui dicat[3]) injuste esse judicantis et perverse: supponere minutis abjectis suis causis virum quendam ad agendum commotum esse, ubi sufficiat officium? — Qui Ciceronem neque timebant et ubique despiciebant, Caesar et Pompejus, iidem auctores dicuntur fuisse ejus ejiciendi et expellendi.[4]) Quam causam fuisse putas? — Quem alio loco despicientes misericordia ad animi lenitatem revocati tractasse, eodem, quum qua floreret auctoritate litterarum et gloria ne noceret vererentur, alio loco magna cum verecundia et reverentia usi esse dicuntur.[5]) — Qui alio loco tam nullius momenti fuisse dicitur auctor, ut unus esset locus qui legentem et aleret et delectaret, idem alio loco tanta floruisse dicitur apud suos

---

[3]) Mommsen, Römische Geschichte III, 57. [4]) l. l. III, 285. [5]) l. l. III, 304.

auctoritate litterarum, ut ne summi quidem viri eum non vererentur.[6]) Quam reipublicae formam alio loco exprobratur Ciceronem non vidisse jam esse mutandam, eadem alio loco tam inveterasse dicitur et infixa in animis civium, ut ne posset quidem sine summo certamine mutari, ut multi putarent urbem ipsam mutata illa forma perituram.[7]) Si qualem virum informavit Mommsenius, talis vere fuit Cicero et ingenio et voluntate, cur tam variam eodem Mommsenio auctore egisse videtur personam? an putas eum, cujus nec mores nec instituta et facta, cujus nec mens nec cogitatio unquam fuerint probanda, a Romanis tam saepe probatum esse, atque ab eis quorum judicium ne Mommsenius quidem detrectabit, a Caesare aliis? Nam quod vel haec testimonia deminuere et frangere conatus est discrimine facto inter scriptorem (Stilisten) et auctorem (Schriftsteller),[8]) in eo non feliciter egit. Ut possis in eis qui scribendo ut Sallustius reipublicae bene mereri studeant hoc discrimen facere, Caesar de oratoribus locutus Ciceronem laudavit, qui cogitata bene eloqui posset, qui ejus paene princeps copiae atque inventor bene de nomine ac dignitate populi Romani meritus esset.[9]) In his verbis, quo probet illam explicationem nihil inest. Videndum Mommsenio, ne quod de Cicerone dicit,[10]) id in ipsum cadere putetur: „quum haberet, quod facete et jocose videretur dictum, eum abstinere non potuisse“ nam odio quodam et invidia abreptus nullam unquam ejus pungendi detrectandive occasionem amittit. Sed haec sufficiant. Sunt igitur in libro Mommseniano, quae inter se pugnent, eaque plura.[11]) Cato altero loco simillimus esse dicitur equitis illius Hispanici domini Quichotii, altero magna laude efferuntur ejus diligentia et constantia,

---

6) l. l. III, 304. 7) l. l. III, 181. 286.

8) III, 536. Dem Stilisten Cicero, nicht dem Schriftsteller, geschweige denn dem Staatsmann galten die überschwenglichen und doch nicht ganz phrasenhaften Lobsprüche, mit denen die begabtesten Vertreter des Classicismus, namentlich Caesar und Catullus, ihn überhäufen.

9) Cic. Brut. § 253. cf. Plin. n. h. VII, 30 s. f. cujus verba ex eodem fonte sumta videntur. cf. Bernhardy, Gr. der Röm. Litt., p. 218 A. 160.

10) Römische Geschichte, III, 199.

11) cf. Bernhardy, l. l. p. 676. Man thäte ihr (der Critik Drumann's) grosses Unrecht, wollte man sie mit den wegwerfenden Einfällen des jüngsten Geschichtschreibers von Rom auf dieselbe Linie rücken; nur in einer phrasenreichen Zeit war es möglich, den Cicero, der keins von beiden gewesen, zum Literaten und Journalisten zu stempeln.

quibus factum sit ut post pugnam Pharsalicam exercitus colligeretur, et quae sunt similia.

Et intellexisse mihi videor, qui hoc factum sit. Ut summus est Mommsenius et summa laude dignus in rebus quae geruntur patefaciendis et illustrandis, ita ut ipse quidem interesse videaris, ita in singulis viris informandis multo videtur inferior; qui quales fuerint tantum non omnes et ingenio et moribus, quam quisque partem in rebus publicis egerint, minus vere existimavit. Atque hoc ne potuit quidem. Mommsenio enim duo sunt hominum genera, alterum eorum quibus majores melioresque et ingenio et voluntate ne animo quidem fingas, Caesarem dico, Hannibalem all., alterum eorum qui nulla re digni nullius momenti sint. Tu vero rerum peractarum memoriam perlustra, videbis plurimos viros fuisse e grege hominum mediocres, quos neque licet supra imitationem et quasi humanitatem extollere, neque abjicere ita ut hoc in libro factum est. In memoria rerum conscribenda difficillimam hanc partem esse concedo existimandi singuli cujusque et facta et cogitata, sed hanc ipsam ob causam decet historicum his in rebus diligentissimum esse et cautissimum neque oblivisci esse res, quae a posteris sciri nequeant. „Est hominibus facetis et dicacibus difficillimum habere hominum „rationem et temporum, ea quae salsissime dici possint tenere.“[12]) Nam ne temporum quidem rationem videtur habuisse Mommsenius. Aliud est de rebus futuris callide conjicere et quasi divinare quod fieri verisimile sit, quod qui potuit, is non minus quam postea illis Romanorum temporibus summo et quasi divinitus dato ingenio praeditus fuit; aliud quod factum sit demonstrare id ita fieri debuisse. Non necessarium videtur eum in memoriam revocare virum doctum qui certum stellarum errantium numerum esse oportere dicebat; et postea plures esse docti sumus. Et nobis quidem, qui sciamus Catilinam prima illa oratione habita ex urbe decessisse, satis facile est ad demonstrandum aliter fieri non potuisse; Ciceroni, qui non modo Catilinam ejecisse, sed nihil illa oratione fecisse dicitur,[13]) tum minus facile erat conjicere Catilinam abiturum; nam quod dicit Mommsenius eum oratione illa non habita sine dubio urbem relicturum fuisse, id erat demonstrandum. Tu fac ut teneas aliud esse de rebus futuris con-

[12]) Cic. d. orat. II, 221. [13]) Mommsen, römische Geschichte III, 169.

jecturam facere, aliud componere historiam rerum factarum, neque licere, si qui id non viderit, quod nos videmus, ei exprobrare. Idem cadit in judicia senatoria, de quibus Mommsenius haec:[14] So trat er im Process des Verres gegen die Senatsgerichte auf, als sie bereits beseitigt waren.

Quam quidem rem levissime tactam quasi praeteriens judicavit et absolvit, ejus rei minus simplex est ratio, rationem dico orationum illarum Verrinarum, quibus quid sibi voluerit Cicero non satis videtur illustratum. At morem Graecorum secutus quas dixerat orationes omnes in publicum edidit, sive ad res pertinebant publicas sive non;[15] sua igitur consuetidene agendi commotus magis et gloriae qualiscunque augendae causa hoc fecit, quam graviore quodam consilio adductus. Mommsenius hoc loco plus sibi visus est scire, quam sciri potest, quum omnes editas esse traditum non sit. Atque ut verum sit illud quod dandum non est, ad res publicas pertinent; quid igitur studuit efficere vel qui ejus fuit de republica administranda et sensus et status? Mommsenius hanc rem uno versiculo exspedivit: „contra pugnavit judicia senatoria.“ Itane vero? Tune credis hoc aut verum esse aut verisimile? Et Mommsenius, quem sibi odio ejus et invidia commotus conformaverit oratorem, minus te poterit sumere, Ciceronem tum judiciorum mutationem senatoriorum suasisse. Ante paucos annos in senatum admissus erat. Atqui judicia cujus momenti et putarentur et essent nemo est quin sciat; qui iis fungebatur ordo, is et summa auctoritate florebat apud cives et summa potentia, quibus rebus quod perverse uterentur, ut his temporibus senatores ita antea equites accusati erant. Potestne verisimile videri Ciceronem a Mommsenio informatum, qua esset cupiditate civitatis salute neglecta suae gloriae famaeque augendae aliquod munus ejus ordinis, in quem ut immitteretur diu exspectavisset et optavisset, judiciis senatoriis dissuasis alii ordini concedere voluisse? Quid? Quod fructus tot tantosque e judiciis ferebant judicantes senatores, id Ciceronem, qua erat et cupiditate pecuniae et solitudine nihil movebat? An qui suam rem agens neque unquam quicquam intellexit, neque reipublicae suisve vixit, hoc loco quum intellexisset judiciis senatoriis servatis rempublicam salvam esse non posse, ut suus suorumque et honor et fructus rerum judicandarum aliis concederetur suasit?

---

[14]) Röm. Gesch. III, 572. [15]) l. l. III, 571.

Halmius[16]) docet Ciceronem in his orationibus edendis aliud spectasse, quam ut eloquentiae monumentum aeternum relinqueret; sed quibus adductum esse putet, ea minus ad rem facere videntur. Tria sunt. Primum: Cicero rei culpa dilucidissime exposita quaerimonias adversariorum: opprimi reum, de quo nihil dictum sit, nullius momenti esse, seque suo agendi modo leges minime neglexisse, suis persuasurus fuit. Culpa rei his orationibus editis nihil facta est clarior, quam antea fuerat; scelus enim aliquod factum esse et culpam susceptam non indiciis demonstratur neque orationibus perpetuis, quas in ejusmodi causis ne audiri quidem ab judicibus, sed omnem exspectationem in tabulis esse aut testibus Cic. narrat,[17]) sed testibus et maxime ipsius rei confessione. Verres confessus est, si non verbis, at facto; quid est aliud scelera facta et culpam susceptam omnibus fateri nisi hoc post primam actionem altera non exspectata urbem relinquere? Nam quid loquar de quotidiano sermone Romanorum? An fuit quisquam tunc temporis Romae qui, reum quendam sive nobilem sive nobilibus amicum, illis judiciis, quae qualia fuerint quum constat, tum a Mommsenio[18]) summa veritate expositum est, causa non dicta, nisi summis obrutum facinoribus urbem reliquisse credidisset? Et Verres dictitaverat illis metuendum, qui ipsis solis surripuissent, se tantum eripuisse ut multis satis esse posset; nihil esse tam sanctum, quod non violari nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit; in pecunia praesidium esse. Ecquis eorum qui tum vivebant de culpa Verris dubitavit? — At Cicero, quum oratione perpetua non habita propter causam aliter actam ac fieri soleret ab adversariis plurimae queremoniae moverentur, habuit cur orationes ederet; id quod ipse videtur indicasse.[19]) De quaerimoniis loquitur, quibus qui utitur, is alterum non firmat jus legesque neglexisse, sed aequitatem et vitae consuetudinem non satis spectasse. Atque quod dicit Halmius Ciceronem voluisse his libris docere modum quo usus sit agendi justum fuisse ac licitum, id ita esse non potest, quum non modo amici, sed ne adversarii quidem oratoris putare possent oratione perpetua non habita leges reipublicae esse neglectas. Quae memorantur adversariorum quaerimoniae l. l. tam paucis verbis absolvuntur ut fingi non possit hanc ob causam orationes esse editas.

---

[16]) Cicero's ausgewählte Reden II. Bändchen. Zweite Auflage. Berlin 1855. Einleitung § 21 etc.
[17]) Oratt. Verr. Act. II, 1, 27. [18]) Röm. Gesch. III, 86. [19]) Oratt. Verr. Act. II, 1, 24.

Nisi forte audiendus est Zeyssius,[20]) qui demonstrare conatus est Ciceronem, quum propter causam non ex legibus actam multorum invidiam suscepisset, orationes Verrinas ut se defenderet edidisse. Zeyssius primum docet lege quae tum valeret Cornelia praescriptum esse, ut primum accusator viginti dierum actione causam ageret, tum defensor pro reo dicens idem tempus consumeret, postea ut actione secunda ad finem perducta testes producti interrogarentur; his interrogatis ut sententia ab judicibus diceretur. Unde haec? Apud Asconium,[21]) quem affert, haec leguntur: „ut cum horis nostris usi} horis nostris, XX. „diebus scilicet. Hi enim dabantur ad accusandum legitimi totidemque defensori ad respondendum.“ His credo verbis scholiastae probatum est viginti dies ab utroque consumi oportere. Fac esse; satis facile est ad demonstrandum, a scholiasta legem illam intellectam non esse; patet enim datos esse viginti dies ut non in unaquaque causa consumerentur, sed ut his datis ne plures dicendo, interrogando etc. tererentur. Viginti diebus uti licuit oratori, et verissimum est quod legitur:[22]) „quod mihi lex mea causa det, „eo mihi non uti non licebit? Nam accusandi mihi tempus mea causa „datum est, ut possem oratione mea crimina causamque explicare. „Hoc si non utor, non tibi injuriam facio, sed de meo jure aliquid „et commodo detraho.“ Atque quae Zeyssius ad suam sententiam comprobandam affert l. l. verba Ciceronis,[23]) ea contra hanc sententiam pugnant. Orator, postquam allatis quaerimoniis Hortensii, opprimi reum, de quo nihil dicat accusator: nihil esse tam periculosum fortunis innocentium quam tacere adversarios oratione perpetua se usurum dixit, ita pergit: „Hic tu fortasse eris „diligens, ne quam ego horam de meis legitimis horis remittam: nisi „omni tempore, quod mihi lege concessum est abusus ero, querere, „deum atque hominum fidem implorabis, circumveniri C. Verrem, „quod accusator nolit tam diu, quam diu liceat dicere.“ In illis igitur quaerimoniis Hortensius diligens non fuit, non exprobravit Ciceroni aliquot horas de legitimis esse remissas, sed hoc questus est accusatorem oratione perpetua usum non esse. Finge tibi legem Corneliam fuisse eam quam putat Zeyssius, Hortensius

---

20) Zimmermann, Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1845 p. 195.

21) Edit. Orell. 116, 7. 22) Oratt. Verr. Act. II, 1, 25. 23) l. l. Act. II, 1, 25.

credo neglecta illa re qua causam vinci oportuit, vel legis illius oblitus ea exprobravit, quae nullius essent momenti. Eadem cadunt in sententiam quam proposuit Zeyssius de producendis testibus, quos actione secunda finita interrogandos esse statuit; quod ut probaret neque ipse quicquam attulit, neque apud scriptores reperitur locus quo hoc firmetur; nam quibus verbis docere studet in testibus legem Corneliam fractam esse, ea perversissime interpretatus est. Cicero de suo agendi modo[24]) ita: „faciam hoc non novum, sed ab iis, qui nunc principes nostrae „civitatis sunt, ante factum, ut testibus utar statim; illud a me novum „judices cognoscetis, quod ita testes constituam, ut crimen totum „explicem, ubi id argumentis atque oratione firmavero, tum testes „ad crimen accommodem, ut nihil inter illam usitatam accusationem „atque hanc novam intersit, nisi quod in illa tunc, quum omnia „dicta sunt testes dantur, hic in singulas res dabuntur, ut illis quo- „que eadem interrogandi facultas argumentandi, dicendique sit. Si „quis erit, qui perpetuam orationem accusationemque desideret, „altera actione audiet: nunc id quod facimus — ea ratione facimus „ut malitiae illorum consilio nostro occurramus — necessario fieri „intelligat." Quae hunc in modum interpretatus est Zeyssius: „Noch lebten „Männer, welche in der vorsullanischen Zeit bei Klagen über Amtserpressung dem damals „gültigen Acilischen Gesetz gemäss verfahren und gleich nach einmaliger Auseinander- „setzung das Zeugenverhör angestellt hatten. Deren Beispiel beschloss er zu folgen." Tu vero lege verba Ciceronis descripta; videbis collatis illis, quae antea leguntur:[25]) „fructum istum laudis, qui ex perpetua oratione percipi po- „tuit in alia tempora reservemus, nunc hominem tabulis, testibus, „privatis publicisque litteris auctoritatibusque accusemus," testibus statim uti non esse post primam actionem edere testes, sed oratione perpetua non habita vel paucis verbis praemissis adhibere testes, tabulas, cetera. Atque potuit Cicero in ipso judicio, quum judicarent senatores, adversario Hortensio, quem et dominatum esse in judiciis et dominari pluribus locis dictum est, potuit in hac causa, qua victa Hortensium superatum iri sperabat, potuit hoc tempore, quum summam laudem oratoriam sibi studeret comparare, potuit rebus ita com-

---

24) Oratt. Verr. Act. I, 55. 25) l. l. Act. I, 33.

paratis legem appellare, quae nulla esset, legem dico, quam lege Cornelia lata sublatam esse nemo erat quin sciret?

Quod si factum esset, Hortensius orator ille disertissimus et callidissimus, quem summa esse astutia summa sagacitate in inveniendis eis quae adversarius minus justa et vera aut fecerit aut dixerit, quem consilio suo adversarium plerumque opprimere, artificio pervertere, ingenio labefactare Cicero in divinatione tradit, ab accusatione liberandum esse C. Verrem a judicibus flagitare debuit, cujus petitionis impetum ne potuit quidem declinare Cicero. Hortensius non defendit. Cur? Qui cum Zeyssio facit, is non habebit, quid respondeat. Tu vero noli putare Ciceronem, qui in foro judiciisque ita versatus sit ut ejusdem aetatis aut nemo aut pauci plures causas defenderint, qui omne tempus in his studiis laboribusque consumserit, tam fuisse stultum temerariumve, ut ejusmodi petitionem praeberet adversario. At quid loquar de hoc loco, quo et legenti cuique patet et ab interpretibus annotatum est, Ciceronem qui eam, quam optaret laudem oratoriam adeptus non sit, appellatis illis qui tum principes essent reipublicae, non modo leges civitatis, sed ne consuetudinem quidem neglectam esse majorum docere, neque inter hanc accusationem et illam usitatam quidquam interesse, nisi quod alio tempore testes darentur, id quod ad leges non pertineret.

Quod praeterea a Zeyssio crimini datur Ciceroni, orationem perpetuam qua ante testium interogationem semper usi essent accusatores habitam non esse, hoc minoris videtur esse momenti. Cicero ipse docet eos qui tunc principes civitatis essent idem fecisse, neque hoc novum esse ut testibus uteretur statim; quid novi insit in hac accusatione Verrina neminem fugiet. At ut verum sit hanc accusationem primam fuisse, qua mutata sit illa majorum consuetudo orationis perpetuae, qui non docuit lege quadam eam esse praeceptam, is nihil contulit, quod oratori vitio vertat. Nam cetera, Ciceronem in eo ab usitata consuetudine deflexisse quod in interrogatione testium prioribus vitae temporibus quaestura legatione praetura urbana omissis ad res Sicilienses progressus sit, haec quae commemorentur vix digna videntur. Quae si vera sunt (Zeyssius non probavit; in actione prima Cicero priorem Verris vitam tangit[26]) ita ut equidem non dubitem quin rerum narratarum etiam testes producti sint; in secundae libro primo de

---

[26]) Oratt. Verr. Act. I, 11, 12.

rationibus loquitur relatis, de testimoniis, de tabulis accepti et expensi, quae legentibus nota esse sumuntur;[27]) de aliis rebus, quas judices in priore actione audivisse dicuntur,[28]) quae qui legerit, is non credet Zeyssio, de his rebus testes non esse interrogatos.) si vera sunt non rem commisit qua circumveniretur reus, sed quod et legibus et consuetudine in suum commodum concessum erat, ejus magnam partem adversario remisit, ut multa veteris infamiae indicia lucraretur permisit. — Vides igitur ne Zeyssium quidem a Cicerone, quod reprehenderetur esse commissum docuisse. — Quid? si actio quae dicitur secunda, si orationes illae, quae inscribuntur de praetura urbana de praetura Siciliensi de frumento de signis de suppliciis, argumenta quibus arceantur ejusmodi crimina, quorum arcendorum causa editae esse dicuntur non habent? An censemus Ciceronem legis cujusdam neglectae argutum referendo quae facinora Verres in quaestura in legatione in praetura urbana commiserit, qua libidine in edicto Siciliensi exercendo usus sit, qualem frumenti numerum abstulerit, quae signa et tabulas rapuerit, quibus suppliciis quum Siculos tum Romanos affecerit, censemus Ciceronem his rebus, quibus Verrem sceleratissimum esse et maxime nefarium demonstretur, neglectis eis quae prope dicam sola dicta oportebat, crimina illa adversariorum a se avertisse? Censemus culpa rei exposita innocentiam et justitiam accusatoris defendi? Nisi forte dicis hoc eum egisse ut homines, quum reum illum nocentissimum tot sceleribus, tot facinoribus obrutum et paene oppressum viderent, et numero illarum rerum et magnitudine abrepti leges illas non observatas flocci facerent. Quod si dicis non ita explicabis ut certum sit et fixum, sed ultro quo progrediaris quam ut verisimile esse demonstres non habebis.

Quoniam ostendisse mihi videor quum in accusatione contra leges actum non sit, neque quidquam causae fuisse Ciceroni, cur se defenderet, neque orationes ejusmodi defensioni inservire, cetera erunt videnda, quibus Halmius ad orationes Verrinas commotum putat edendas, quae ut probabilora sint, rem conficere non videntur. Quod dicit eum illustri quodam exemplo sceleratissimam illam et maxime ignominiosam provinciarum vexationem et direptionem notare voluisse, hoc verum quidem est; notavit enim non tantum Verrem, sed alios similiter egisse saepius dixit. At res gestas memoriae tradere ut posteri sciant quid actum

---

[27]) Oratt. Verr. Act. II, I, 36. 57. 79. 83. 94. 96. 106 etc. [28]) l. l. 71. 98. 125 etc.

sit et videant quam quisque partem egerit, singulos viros aut laudare aut vituperare ut tu quid tibi agendum sit inde conjicias, hoc est historici, non ejus qui res publicas sibi sumsit aut conservandas aut emendandas. Quis est qui dicat orationes Verrinas ad artem pertinere historicam? Quis est qui, quin reipublicae causa editas esse dubitet? Auctor ipse non uno loco se causam suscepisse ordinis, se causam suscepisse reipublicae dicit.[29]) Quod qui verum putat, is interrogabit, quid igitur est, cur ita provinciarum administrationem notaverit.

Sic interrogantibus satisfacere videtur id, quod tertio loco posuit Halmius: Ciceronem nobilium vitiis sceleribusque libere et fortiter denudatis favorem populi comparatum augere voluisse et firmare. Videtur. Qui est ille populus? Halmius enim ut supra, cui demonstraturus esset Cicero sua accusatione contra leges actum non esse, non docuit, ita hoc loco, quem intellexerit populum, non dixit. At ii sunt, qui a nobilibus vexati et pressi quammaxime ut mutarentur reipublicae, qua tum utebantur, instituta, qui legibus Corneliis non contenti ut restitueretur vis tribunorum, ut judicia aliis traderentur et cupiebant et agebant, qui suffragiis suis non minus honores tribuebant, quorum primum gradum Cicero acceperat, quam leges ferebant. Horum hominum animi in contionibus et in foro orationibus dictis et numerata pecunia flectuntur, non moventur libris editis, quos ne legunt quidem. An censemus eos, quos illis temporibus canditati suffragiorum causa maxime sibi studerent conciliare, qui quum sua quisque patria non habuissent quo se suosque tolerarent non minus ignavia et socordia quam inopia commoti ex omnibus vel remotissimis imperii partibus largitionum frumentariarum spe Romam confluxissent, censemus perditissimos ejusmodi homines et infimi generis[30]) tam ampla legisse scripta, qualia sunt orationes Verrinae?

Quoniam planum videtur factum neque verisimile esse id quod docuerit Mommsenius, pugnare Ciceronem contra judicia senatoria, neque veri quid protulisse Zeyssium docentem, actum esse contra leges, neque rem confecisse Halmium, quum non sufficiat dixisse quae usquedum exposita sint eis rem non satis illustratam esse videndum erit, quid sibi voluerit orationum auctor. Sunt qui dicant in itinere illo Siciliensi summam rerum memorabilium copiam ab oratore

[29]) Tu confer instar omnium: Oratt. Verr. Act. II, 2. 1.

[30]) Lege si placet: Mommsen, römische Geschichte III, 87. 473.

esse collectam, quas ne quasi perderet his orationibus publici juris fecerit. Verum est, sed rem non magis conficit quam Halmii illud notare eum voluisse vexationes provinciarum; nam cui bono? Cicero ipse tradit[31]) se, quum illam causam Siculorum rogatu recepisset, majus quiddam sibi proposuisse, in quo suam in rempublicam voluntatem populus Romanus perspicere posset.

Quid est igitur, quod sibi majus proposuit, in quo voluntas in rempublicam cerneretur? Tu lege verba quae sequuntur.[32]) Haec sunt: „Nam illud „mihi nequaquam dignum industria conatuque meo videbatur, istum „a me in judicium jam omnium judicio condemnatum vocari nisi ista „tua intolerabilis potentia et ea cupiditas, qua per hosce annos in „quibusdam judiciis usus es etiam in hujus hominis desperati causa „interponeretur. Nunc vero quoniam haec te omnis dominatio reg„numque judiciorum tanto opere delectat, et sunt homines, quos „libidinis infamiaeque suae neque pudeat neque taedeat, qui quasi „de industria in odium offensionemque populi Romani irruere vi„deantur, hoc me profiteor suscepisse magnum fortasse onus et mihi „periculosum, verum tamen dignum in quo omnes nervos aetatis in„dustriaeque meae contenderem. Quoniam totus ordo paucorum „improbitate et audacia premitur et urgetur infamia judiciorum „profiteor huic generi hominum me inimicum accusatorem, odio„sum, assiduum acerbum adversarium.“ — Quae qui inspexerit verba is videbit pugnare Ciceronem contra Hortensium; id agere ut eum loco moveat, eum superet, eum devincat, non laude arteque oratoria, nam fructum istum laudis, qui ex perpetua oratione percipi possit, sibi reservat; Hortensius quum instituerit pugnare non ex sua natura, sed ex Verris tempore et causa, malitiose huic rationi aliquo modo obsistere conatur.[33]) Hortensius summi ille ingenii orator, summa dicendi facultate copiaque praeditus tunc temporis non tam dux et antistes quam patronus erat nobilium quorundam, qui et genere suo et reipublicae ratione freti, inferioribus populi partibus contemptis et despectis tam sibi vivebant, ut patriae salute neglecta in provinciis administrandis aliisve muneribus gerendis suam solam rem agentes, quum propter divitias quibus accusati patronos emerent,

---

[31]) Oratt. Verr. Act. I, 34. [32]) l. l. Act. I, 35. [33]) l. l. Act. I, 33.

judices corrumperent etc., et edicta pecunia numerata venderent, et provincias vexarent diriperentque, res publicas in dies magis perturbarent. Quum magis dicendi illa facultate et copia floreret quam religione metuque legum et institutionum reipublicae, saepe accidebat ut summa in judiciis uteretur cupiditate, neque putaverim ullum fuisse judicem causae Verris, quin quum audiret haec verba oratoris: „et ea cupiditas, qua per hosce annos in quibusdam judiciis „usus es“[34]) causas sibi in mentem revocaverit, quae Hortensii artificiis contra leges victae essent.[35]) Quae quum ita essent, tantum in judiciis valebat ut Cicero de dominatione ejus regnoque judiciorum loqueretur, ut cives inter se dicerent: his judiciis divitem reum vel nocentissimum condemnari non posse, ut nulla existimarentur esse judicia. Hanc oratoris auctoritatem tollere studet ac delere. Patrono superato, et ita superato, ut vitiis ejus denudatis et perspectis quum auctoritas exstincta sit, nulla jam sit ejus dominatio nullum regnum judiciorum, ne ei quidem, quorum fuerat patronus, ea qua usquedum gavisi sunt, vivent securitate; e provinciis quum decesserunt accusati si rei nocentes sint in judiciis damnabuntur; et in Hortensio non minus contra eos pugnat, „quos libidinis infamiae„que suae neque pudet neque taedet, qui quasi de industria in odium „offensionemque populi Romani irruere videntur.“[36]) Jam videbis quid sit illud quod majus Cicero sibi proposuerit. Non ad totam aggreditur opprimendam nobilitatem,[37]) sed quae Verres ei proponit „inania nobilitatis „hoc est hominum arrogantium nomina, qui non tam impediunt quod „nobiles sunt, quam adjuvant quod noti sunt“[38]) qui sibi viventes rempublicam flocci faciunt, quum his non oppressis respublica stare non possit, huic generi hominum se inimicum profitetur. Qui fuerint et quot numero nihil ad rem; satis facile est aliquot nomina proferre. Tu vero noli urgere Ciceronis verba dicentis[39]) „quoniam totus ordo paucorum improbitate et audacia pre-

---

34) Oratt. Verr. Act. I, 35. 35) Bernhardy, röm. Litteraturgeschichte p. 661 et. A. 537.

36) Oratt. Verr. Act. I, 35.

37) Halm, Cicero's ausgewählte Reden, B. 2, Einleitung § 7: es galt nicht blos dem gefeiertsten Redner seiner Zeit die Palme der Beredsamkeit zu entwinden, sondern auch der ganzen Nobilität, welche durch partheiische Handhabung der Gerichte der Ausplünderung der Provinzen gleichsam den Stempel des Rechts aufdrückte, eine empfindliche Demüthigung beizubringen.

38) Oratt. Verr. Act. I, 15. 39) l. l. Act. I, 36.

„mitur.“ Fac plures fuisse ejus generis, id facit quod est oratoris, ut quod boni habeat causa, id amplectetur, exornet, exaggeret,[40]) quod si non licet ars dicendi nulla est. — Qui de totius nobilitatis honore et dignitate instituit detrahere, is ita dicere non potest. Ejusmodi enim temporibus, quum factionum ordinumve et suspicione et invidia coortis nec discordia non mota per omnes locos quotidiano civium sermone res publicae agitantur, ex singulis conjectura facta de omnibus, quae unus commisit ordini vitio dantur. Ita illis diebus non singuli quidam nobiles, sive pauci sive plures propter judicia turpiter facta a populo accusabantur, sed ordo nobilium ut qui summa commisisset scelera et flagitia videbatur opprimendus. Cicero credo is fuit qui naturae humanae inscius, quum senatoriis judiciis laudatis et illa auctoritate quae in ordine deberet remanere defensa singulorum quorundam nobilium injurias persequeretur, favorem sibi et gratiam populi putaret comparare.

Judicia enim senatoria tantum abest ut in alium ordinem cupiat translata, ut acerrimum eorum se praebeat defensorem. Fac ut rerum publicarum statum qui tum Romae erat, animo tibi confingas. Discordia civium, quae legibus Corneliis depressa videretur, post mortem dictatoris denuo coorta, annis 71 et 70 animi hominum maxime agitabantur judiciis, quae quum nulla fere esse viderentur, quam non ferenda essent, quum sat multis causis perceptum videretur et exploratum, tum quotidiano omnium sermone tractabatur. Quod ita esse, quum ejusmodi discordiarum civilium temporibus certae sint res quae agantur, noli mirari. Qui populariter agendo gratiam sibi conabatur conciliare populi, is ordinem senatorium persecutus de judiciis loquebatur commutandis sive in foro sive in contionibus non minus quam de restituenda tribunorum vi ac potestate. Ita Pompejus in contione dixerat, judicia turpe ac flagitiose fieri, ei rei se providere velle.[41]) Quid Cicero? Hoc rerum publicarum statu firmat, nihil magis esse optandum, quam ut causa quadam religiose ac vere judicata, quum restituta sit existimatio ordinis senatorii, auctoritas quae debeat esse in illo ordine, maneat

---

[40]) Cic. d. orat. II, 292.

[41]) Oratt. Verr. Act. I, 46. Cf. Mommsen, Röm. Gesch. III, 85. Die Erneuerung der Getreidespenden, die Wiederherstellung der tribunicischen Gewalt in ihrem alten Umfang, die Beseitigung der senatorischen Gerichte hörten nie auf die Gegenstände popularer Agitation zu bilden.

et haereat, senatores in gratiam cum populo redeant; se ad invidiam judiciorum venisse sedendam non augendam, ut communi succurrat infamiae, similia. Videturne haec tibi esse populariter agentis vel conciliantis sibi gratiam populi? Quicunque res illorum annorum diligentius perspexerit, is intelliget, quorum favorem et gratiam Cicero dicitur voluisse sibi comparare, quum audissent haec verba: „de „quo si vos severe ac religiose judicaveritis, auctoritas ea, quae in „vobis remanere debet, haerebit“[42]) abalienatos eos esse omnes ab oratore qui reconciliandam esse existimationem, debere remanere auctoritatem dixisset ejus ordinis quem summo odio persequerentur. Hominum enim id genus mentes magis quam argumentis certissimis ex suo loco repititis flectuntur singulis quibusdam aut verbis aut dictis, quibus tota res expedita videatur, neque dubium est, quin divulgatum et ab omnibus cum ira et odio repetitum sit per vias vicosque hoc dictum Ciceronis: „Auctoritas in senatoribus remanere debet.“ Aut ita fuisse statuendum erit, aut demonstrandum Romanos alius generis et alius naturae fuisse quam qui aut antea aut postea vixerunt.

Accedit, nam ne hoc quidem negligendum, quod prima sunt orationis verba, quibus ordinem illum, quem alii conjunctissimum putent, a se abalienare dictus est. Quae in arte grammattica docentur de verbis singulis in orbe quodam ita collocandis, ut quae maxime lateant in media sententiae parte ponantur, quae ita infixa velis in memoria, ut ne quis audientium oblivione perdat, ea sententiam claudant, quae maxime animos audientium captent et afficiant aut amore aut ira, ea primum teneant sententiae locum, ea non minus cadunt in orationes, quarum exordium ad animos audientium accomodatum est ita afficiendos, ut affectos velit auctor. „Exordio statim animum auditoris nobis idoneum reddimus „ad audiendum.“[43]) Initium quae faciunt voces, eisdem oratio clauditur. Sperare sibi videtur orator atque optat a diis immortalibus ut in judicio nemo improbus sit; M'. Glabrionem, propter auctoritatem, sapientiam, diligentiam elatum apellat ut suscipiat causam judiciorum, causam severitatis ,integritatis, fidei, religionis, causam senatus; resistendum esse dicit hominibus audacissimis (ex eis, quae leguntur Act. I, 15 et 35 apertum est quos intelligat.); intellecturum populum

---

[42]) Oratt. Verr. Act. I, 3. [43]) Rhetor. ad Herenn. I, 6.

Romanum nocenti reo magnitudinem pecuniae plus habere momenti ad suspicionem criminis, quam ad rationem salutis; senatum ejusmodi judicio probatum cum populo et in laude et in gratia futurum.

Quid est igitur, quod planum non sit? Cicero paucos ante annos senator factus (quo anno nihil ad rem), quum res ordinis propter judicia turpissime facta in discrimen pervenerit, ut restituatur populi existimatio omnes nervos intendit; e numero enim est eorum, qui rerum novarum nihil cupidi formam reipublicae administrandae a majoribus traditam ita laudabant ut ordini senatorio cui summa auctoritas esse deberet, nihil vellent detractum; ne judicia quidem mutari vult. At qui fiet ut illa infamia, quam suscepit ordo, tollatur ac deleatur? Senatores planum faciant necesse est exemplo statuto, se relicta causa eorum, qui cupiditate ducti et socordia artificiis Hortensiorum freti quasi industria in odium populi irruere videantur, rei publicae velle consulere et providere, quae ut vivat et vigeat optimo cuique pro viribus studendum. In Verre hoc exemplum statui potest; tantam divitiarum copiam in praetura illa Siciliensi sceleratissime et flagitiosissime acta sibi corripuit ut eo condemnato judicent omnes: judices non pecunia corruptos sententiam dixisse, sed commotos religione et officio.

Itaque ad eos, quorum interesse sumit ut cum populo in gratiam redeant orationem accomodat permovendos, ut in hac causa vere et religiose judicent. Quod si factum erit res publicae ei videntur aliquantum mutatae: senatores, quum in Verre omnes qui nullo judiciorum metu retardati provincias simili modo aut vexarint aut vexent judicio senatorio condemnati sint minus de causa illa, quam de genere causarum statuerint, ita ut coactos quodammodo postea easdem dicere sententias oporteat. Nobiles illi, de quibus supra dictum est, reo nocentissimo praesidium in pecunia non esse satis edocti provincias tam scelerate vexare et eripere non audebunt. Hortensius semel denudatus et superatus eorum causas non vincet. Populus Romanus hoc judicio certus ab ordine senatorio judicia religiose fieri posse et fieri de judiciis alii ordini transferendis neque aget neque cogitabit. Respublica igitur universa Verre condemnato summo periculo liberata in posterum salva stabit et firma.

Spem vides oratoris collocatam esse in sententia senatorum dicta; cf. A. II, 1. 2. 3. Dicta non est; Verres antea urbem reliquit. Quod sibi proposuerat

Cicero, id assecutus non est. Patroni laudem reportavit et verissima sunt verba illa:[44]) „ego, quod ad me attinet judices vici: non enim spolia Verris, „sed existimationem populi Romani concupivi." Hac laude non contentus, ut pro viribus, id quod sibi proposuerat, rebus publicis consuleret, alteram actionem edidit, qua non invidiam studet conflare judiciorum quae tum erant, sed et his orationibus contra profligatissimos illos et perditissimos pugnat nobiles, quorum cupiditate et infamia perniciem reipublicae parari arbitratur. Sunt optimates, qui non sibi sed reipublicae vivendum sciant, quorum quum intersit ut infamia ordinis deleta atque civium discordia sublata respublica restituatur, his orationibus ut judicia quam religiosissime faciant, hortatur. — At enim nimia sui fiducia majorem quam par erat in arte sua collocavit spem? Quis est qui neget? E numero est eorum qui temporibus vel maxime turbatis etiam eorum verba sperant audiri, qui interjecti quodammodo inter duo civium litigantium genera contraria, vicini amborum utriusque participes vel si verum dicimus utriusque potius expertes auream illam laudant mediocritatem, quae est inter nimium et parum. — At in his rebus doctrina quadam abreptus magis est, quam ductus rerum veritate? Hoc vitium, si vitium dicendum commune est omnium eorum quorum mentes et cogitationes Ciceroni similes sunt.

---

[44]) Oratt. Verr. Act. II, 1, 21.